

Quae quidem distinctio, cum tripliciter considerari possit, confusionem non raro gignit. Divina enim iustitia vel bonitas vel liberalitas vel misericordia aut sumitur in sua radice intra ipsum Deum, aut sumitur secundum habitudinem Dei ad creaturas, aut sumitur secundum quod ipsae creaturae inter se comparantur.

Primo modo, ergo, conspicitur divina bonitas in eo quod libere de nihilo ens et bonum producit; conspicitur eius iustitia in eo quod divina voluntas ordinem rerum ab infinita sapientia determinatum elegit; conspicitur divina liberalitas in eo quod divina sapientia omnia ordinat non in divinam utilitatem sed in divinam bonitatem manifestandam atque communicandam; conspicitur divina misericordia in eo quod creaturae ordinantur non in bonitatem suam sed in ipsam divinam bonitatem.

Altero modo, summopere evitanda est fallacia anthropomorphica quae Deum et creaturam quasi ex aequo ponat, ut quaerat non solum quid Deo a creatura sed etiam quid creaturae a Deo debeatur. Iam vero finis illud exigit quod ad finem ordinatur; sed quod in finem ordinatur, finem non exigit sed propter finem est. Animalia ergo sunt propter hominem, et homo est propter civitatem caelestem, et civitas caelestis est propter ~~Deum~~ ~~deum~~ divinam bonitatem; e contra, homo non est propter alia animalia, et civitas caelestis non est propter hominem, et divina bonitas non est propter civitatem caelestem. Neque res diversimode se haberet, si homo in finem mere naturalem ordinaretur; nullus enim finis est propter illud quod in finem ordinatur; et ideo semper primo ponitur finis